



At vero vice contraria caliditatis est subtiliare atq; dilatare aerē, vt ista præcedente demonstratione indicatur, qui in sua subtiliatione locum latiore quærens, nō aquas è terræ meditullio sursum attrahere, sed è regione illas magis deorsum premerē videtur, quo pro sua existētia scopum latiore acquirant. At vero fontem harum aquarum vniuersalem mare esse diximus, quod etiam à sancto Biblio intimari videtur hisce verbis . *Congregentur aqua quæ sunt infra cælum in locum vnum vt conspiciatur arida & sicut ita, Gen. 1.9.* Aridam autem vocauit Deus terram, congregationem vero aquarum vocauit maria. Sed obiter contra hæc, quæ à nobis scribuntur, quidam obicere possunt: quod si hoc esset verum, tunc venti copiosius & vberius flare solerent eo tempore, quo frigus in Zona nostra est intensius; at vero tempore gelu pruinæque frigidissimus reperitur aer, ergo hisce temporibus magis centraliter contrahetur aer, & consequenter vberiora erunt flumina, & affluentiores atq; repletiores fontes. Quibus respondemus, quod causa profluuu & fluxus copiosioris fontium non sit solummodo à frigore regionis in qua fluunt, aerem loci contrahente, atque consequenter aquas in terra occultatas propter aquæ cum aere vicinitatem & connexionem sursum attrahente, verum etiam caliditas loci oppositi aerem subtilians admodum est idonea, verbi gratia, in brumali apud nos tempestate, quādo sol spatia vltra æquinoctialem plagam, polum scilicet Antarcticum versus occupat, videl. vel scorpionem, sagittariū, & præcipue capricornum perambulans; aer loci seu spatii illius terre ob directionem radiorū solariū subtiliatur, atq; locum spatiosiorē vndiq; i.e. circulariter, petit, pro sua existētia dilatata: vnde fit, vt fontes illius loci detrudantur versus terræ viscera seu centrum, ob hanc rationem facillime præbet ista actio calida materiā calidam, ad fontium Septentrionalium multiplicationē, quæ materia ita oblata, tū postea absentia sua, seu languore caloris solaris in partib. Septentrionalibus, h.e. propter obliquitatem & debilitatem radiorum in iis ferentiū, videl. frigoris dominio aerē contrahentis, sursum vehitur, & fontes copiose implet. At vero certū est, q̄ non magis aqua à frigore boreali possit eleuari, quam secundū eam proportionem, quam caliditas australis in terram depressit, q̄ quidem si aliter accideret tunc relinqueretur vacuum in rerū natura absurdissimum, ipsi naturæ abominabile; atq; hinc est, quod tametsi flumina (iuxta illud sapientis) in mare confluant, tamen mare non redundat, aut est vno quam alio tempore plenius: est n. in natura circularis motus, sed nullam admittit ipsa auetionem vel diminutionem. Et quamuis videmus quod inundationes fiant & fluminum egressiones è suis alueis in partib. suis borealibus, hoc tamen à pluuiis copiosius accidere solere docemur, quæ ob ex extremam aeris locorum australium subtiliationem fiunt, in qua portio grandis illius aeris ita subtiliati, mediante flatu australi, in partes conducitur boreales, vbi à loci frigore in nubes reducitur, ac tandem à proprio suo calore, quem à solaribus radiis accipit via inspissationis statim dissoluitur in pluuias, nam calor inclusus apertum naturaliter